A.o 44. Salutem Officiosam. Ico:

No 21

Illustris & Generose Vir; Domine Gratiose: Patrone
Suspiciende

Subitus, & cunctis inopinatus, militis SVECICI in has oras adventus; Refor
matae ecclesiae, hic degentibus membris, in vicino urbi pago, solitum ad
sacra conventum, inhibere coepit. Scitur quippe, militiae huius aetatis,
in Germania, utpote bello civili dilacerata, non eam posse constare discipli
nam, quae foederis socios, religionis concives, adeoque ab omni parte bonos,
ab omni periculorum & calamitatum metu, possit liberare. Hinc trepidi Ve
strae Religionis sectatores, facti; pago isti, licet fere suburbano, ulterius sese
concredere non sunt ausi. Magistratus noster oppidanus, per Honora
tissimos V.ram rite compellatus; connivendo quidem, temporariam,
belli calamitate repressis, sacrorum suorum, pacatamque libertatem,
Christiana condolentia commotus, concesserat. Vestri, ut pios, modestosque
condecebat; tranquille & absque omni metu, in suburbio convenire occeperant.
Nemo paudens repertus, qui se offensum profiteretur. At vero NOSTRI
Praecones, conventum agere: callidis votis rem agitare: in unum ignito
fervore conspirare: pro ambone Vestros: religionem: sacra: doctrinam;
& quod durum est, horrendis lacerare convitiis; detestandis onerare ca
lumniis: asperrimis fragitare probris: & ad internecinum odium effictis
criminationibus, ad plebem traducere, non erubuerunt; idque ne iam quidem
continuare cessant.* Furere eos, & debacchari si dixerim, nil praeter verum
narravero. Accedit & hoc; quod quidam inter eos; praeterita aesta
te; libellum edidit; sub titulo Lutherischer Widerhall, in quo pag. impri
mis (? 4) gravissima quaevis crimina, Patribus Vestris, ab auctore Jodoco
Edzardi Glaneo, Vobis sane, non toleranda, aut dissimulanda, impinguntur.
Ipse libellus loquatur malim; quam ut falsitatis atrocitas, a me, pluribus
fragitetur. Miror autem NOSTROS, tam inverecunde inhumanos esse;
ut quod apud VOS: & a VOBIS, Clementiae, favoris, protectionis, libertatis,
quantumque privilegiorum, NOSTRIS, sub aliis Dominiis Vestris, tam paterne
praestetur, prorsus meminisse, aut considerare usque adeo nolint. Quid
quaeso hoc sibi vult; quod insanus dicti libelli auctor, in praefatione sua,
VESTROS: religionemque Vestram, fanaticis Anabaptistis adaequatam
pronunciat? loco autem s. allegato: culpam truculentissimae rabiei Alba
nianae, in parentes VROS; V.rumque religionem derivat! & parricidii tan
tam in Celsiss.m Beatissimae memoriae Principem Wilhelmum Arausionensem,
reos efficere nititur? Quid fieri debeat etiam atque etiam, spero,
providebitis. Non cedit fraudi apud VOS, mihi, quod est huius, quod e
Christiana condolentia, profectum fuit. Luterana mea conscientia, hoc
opere non polluitur. Obtestor VOS per Sacratissima JESU CHRISTI
vulnera; ut V.ram hic degentium rationem habere, ne procrastinetis:
comperendinatio enim negotii huius, gravissimae & non excusandae socordiae VOS coram Deo,
esset reddititura reos. Vale VIR MAXIME.

T. T. T. Q. S.
J. S. V. S. E. S. q. M. V. D. Cothy.
[illegible]

* Hinc Vestros ulterius conve-
nire prohibitos, irrisorie
triumphant.

Lab. Hamb. postrid. Cal.
Feb. Ao. 44.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 50d, nr. 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3456

A
Monsieur
Monsieur Constantin Huygens Hereditaire
in Zuilichame. & Secretaire de son
Alteze Mons.r Mons.r
Le Prince d'Orange

A la Hay.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 50d, nr. 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3456